Dedikat. 25 (49)
1 G

Humillima Informatio & facti Series
in Puncto
Arrestorum per Regimen Brabantinum interpositorum super bonis Leodiensium.

QUam infundata sacrique Romani Imperii constitutionibus contraria sint arresta novissime decreta & interposita ex parte Regiminis Belgici super bonis & proventibus incolarum Patriæ Leodiensis in Brabantia sitis, occasione dissidii nuperrime suscitati per Comitem ab Arberg, intuitu superioritatis territorialis Castri vulgo nuncupati Rochette, ejusque appendicum sequens facti series edocebit.

Castrum illud cum bonis ei annexis modo possessum à fato Comite feudum est simplex omni prorsus jurisdictione carens, à Comitatu & oppido Dalhemiensi, ad præpotentes Belgii confœderati Ordines in vim divisionum inter ipsos Serenissimumque Regem Catholicum Anno 1661. Hagæ Comitis celebratum nunc spectante movens, continetque, juxta nonnulla relevia curiæ feudali Dalhemiensi præstita, centum & viginti silvæ, quatuor vero prati & tria vel circiter terræ arabilis jugera, quæ sita sunt in territorio Fleronensi passim dicto, *Advocatia Fleronensis* prope Leodium, ut constat ex litteris testimonialibus justitiæ dicti loci de 30. Julii & 30. Septembris anni 1523.
Num. 1. & 2. hic sub Num. 1. & 2. junctis.

Porro Dominium & territorium Fleronense Ecclesiæ Regali Aquisgranensi, ab invictissimo Imperatore Ottone Magno Anno 972. velut allodium liberum, cum omnimoda jurisdictione, sub resortu tamen Imperii donatum fuisse publica ferunt documenta.

In cujus donationis sequelam Decanus, & Capitulum prædictæ Ecclesiæ tanquam meri & funditus Domini ejusdem territorii, prætorem & scabinos pro justitiæ administratione, ab omni ævo instituerunt, censusque dominicales, in signum superioritatis, à successivis possessoribus antememorati
Num. 3. castri bonorumque ei annexorum perceperunt, teste adjuncto sub Num. 3.

Innume-

Innumerosque jurisdictionis actus tam in civilibus, quam in criminalibus & politicis per se, suosve justitiæ Ministros, & officiatos ibidem exercuerunt, adversus colonos & possessores ejusdem castri, prædiorumque ei annexorum.

Inter quos, hi sunt notatu digni, cum infinitis fere aliis in antiquissimis curiæ Registris descripti.

Anno 1487. 3. May Tutores Warneri de Withem istius castri Domini inquisitionem Criminalem coram præfatâ justitiâ fleronensi ob furtum eo in castro commissum promoveri curarunt.

Decima Septima Junii Anni 1490. idem Warnerus de Withem litem coram dicta justitia Fleronensi contra Thomam Delheur ejusdem territorii Fleronensis Scabinum, instituere coactus est, ad videndum declarari nullum ipsi competere jus pascendi sua pecora in silvis & pascuis de Rochette.

Vigesima sexta Octobris Anno 1520. dicta justitia Fleronensis sententiam tulit adversus Theodoricum de Linden, illius castri possessorem, per quam ei injunxit, quatenus Laurentium Devaux, in eodem Castro sub arresto detentum, dimitteret.

Sexta May Anni 1563. Guillelmus de Ruissemberg istius Feudi Successor proprium suum colonum autoritate Curiæ Fleronensis citari curavit, ad eum via juris compellendum ad hoc, ut pecorum ab ipso detentorum & per Warnerum de Gulpen ejus socerum eidem depositorum rationem redderet.

Vigesima secunda Anni 1572. antefata justitia Fleronensis jurisdictionem ipsi à capitulo Aquisgranensi delegatam continuando, ad requisitionem ejusdem Guillelmi de Ruissemberg processit ad examen nominati Ægidii Joannis Gathii in dicto castro ob crimina detenti.

Plurima alia actuum jurisdictionis à Curia Fleronensi nomine Aquisgranensis Ecclesiæ exercitorum in Rochette exempla hic recenseri possent; sed brevitatis gratia omittuntur, ut quod illa fuse sint relata in libro cui Titulus: *Jura Sacri Romani Imperii in Dominio de Fleron*, Typis edito Anno 1628.

Cum vero quædam difficultates inter regale capitulum Aquisgranense & Joannem de Ruissemberg domus Rochettæ possessorem subortæ fuissent, idem capitulum de assensu Apostolico, consultum habuit Dominium & Territorium Fleronense cum omnibus juribus ei annexis alienare per actum venditionis in rem illustrissimi Comitis de Bucquoy, qui illud Anno 1626. retrocessit in favorem Serenissimi quondam Principis Ferdinandi Bavariæ Ducis, Episcopi Leodiensis.

Defuncto sine liberis præmemorato Joanne de Ruissemberg, inita fuit Anno 1659. super ejus successione inter ipsius Viduam Mariam Sibyllam de Plettemberg, & Emundum Baronem de Cortembach Dominum de Helmondt defuncti proximorem, transactio, per quam fata Vidua ei cessit cum aliis bonis usumfructum castri & bonorum de Rochette, sub certis legibus & conditionibus.

Paucis tamen post annis nonnullæ inter transigentes supervenerunt controversiæ in hujus transactionis executione, præfatâ Viduâ graviter conquerente, fuisse deceptam & summopere læsam.

Unde pro illius rescissione tam ex capite circumventionis quam ex capite læsionis enormissimæ, antefata vidua recursum habuit ad Consilium Brabantinum

bantinum Bruxellis ordinatum, ubi post longam disceptationem non modo super negotio principali, sed & super exceptione declinatoria ex parte Baronis de Cortembach eo obtentu propositâ, quod ageretur de Castro & bonis Feudalibus de Rochette, ac subinde quod quæstio hæc de feudo ad præpotentes Belgii confœderati Ordines uti repræsentantes, vigore divisionum Anno 1661. initarum, Comitem Dalhemiensem à quo Castrum de Rochette cum appenditiis in feudum movet, foret remittenda, præmemorata vidua successive binas reportavit sententias Anno 1668. unam scilicet in puncto incidentali, rejectâ nimirum exceptione declinatoriâ, & alteram in causâ principali, per quam prætacta transactio cassata, & annullata fuit, Barone de Cortembach in expensis condemnato.

Ast consilium Brabantinum agoscens se non posse sententiam in principali latam, intuitu Castri & bonorum de Rochette in territorio Fleronensi ad Principem Leodiensem spectante, sitorum, propriâ autoritate exequi, litteras suas requisitoriales Serenissimo Principi Maximiliano Henrico Bavariæ Duci, Episcopo Leodiensi direxit Anno 1669. ad hoc, ut præfatam sententiam executioni mandaret, seu mandari curaret.

Verum ejus sententiæ executionem præfatus Baro de Cortembach sistere & eludere omnibus modis tentavit, in eumque finem officium fisci, seu Procuratoris Generalis Consilii Brabantiæ Hagæ Comitis constituti excitavit, repræsentando Castrum & bona de Rochette non tantum in feudum moveri à Comitatu Dalhemiensi ad Confœderatos Ordines pertinente, vigore divisionum Anno 1661. initarum, sed etiam illa esse de territorio ejusdem Comitatus, non vero de territorio Fleronensi aut alio, taliterque effecit ut ad instantiam Procuratoris Generalis lata fuerint decreta quorumcumque gestorum coram Consilio Brabantino Bruxellensi, Cassatoria.

Cujusmodi Decreta manu armata exequi molitus est in & super Castro bonisque de Rochette, cum jussione supra fatæ Mariæ Sibyllæ de Pletemberg factâ ut inde pedes & manus indilate amoveret, & in vim illorum decretorum immissus fuit in possessionem prædicti Castri bonorumque ab eo dependentium.

Exinde conflictus jurisdictionis inter Serenissimum Principem Leodiensem & præpotentes Belgii confœderati Ordines excitatus est, contendente Serenissimo Principe se vigore cessionis Ecclesiæ Leodiensi factæ Anno 1626. Dominii Fleronensis cum omnibus juribus ei annexis habere superioritatem territorialem castri prædiorumque de Rochette, illam è contra sibi asserentibus Confœderatis Ordinibus ex capite præmemoratarum divisionum de Anno 1661. cum Rege Catholico initarum, quibus Dalhemiensis Comitatus ipsis obtigit cum nonnullis feudis ab eo dependentibus.

Ad componendum via amicabili istud dissidium varii congressus inter Deputatos Serenissimi Principis Leodiensis & Ordinum confœderatorum Hagæ Comitis habiti sunt, & cum post aliqualem jurium hinc inde discussionem, mota circa punctum superioritatis territorialis controversia dirimi non potuerit; ut tamen tranquillitati inter vicinos interim prospiceretur, juraque partium litigantium illæsa servarentur, conventum fuit provisionaliter per Tractatum
Num. 4. de 9. Octobris Anni 1669. hic junctum sub Num. 4. quod citra præjudicium superioritatis territorialis, quam Imperium signanter patria Leodiensis, Statusque Hollandici super castro appendiciis & pertinentiis de Rochette sibi utrimque asserunt, sententiæ in contradictorio latæ, aut in futurum ferendæ per Consilium Brabantino-Hollandicum intuitu domus Rochettæ ejusque appendicum

dicum sive pro, sive contra Procuratorem Generalem Hagæ Comitis residentem, aut pro vel contra alterutram partium litigantium, Dominum scilicet de Helmondt, Dominamve Mariam Sibyllam de Pletemberg viduam Domini Joannis de Ruissemberg, respectivè ad expressam Præpotentum Belgii confœderati Ordinum requisitionem ibidem factam, nec non de speciali consensu suæ Serenissimæ Celsitudinis, executioni, citra ullam consequentiam, per apparitores præfati consilii Brabantino-Hollandici demandarentur prout stili; ita tamen ut fata Domina Maria Sibylla de Pletenberg, ad præveniendam executionem, omnibus juris beneficiis ipsi competere valentibus, pro conservatione jurium suorum respectu Castri bonorumque de Rochette, uti poterit coram præmemorato Consilio, non attentis decretis in contumaciam latis, quod intra bimestre post ratihabitionem dicti tractatus provisionalis, partes de superioritate territoriali disceptantes, de mediis & modis amicabiliter transigendi & componendi istud dissidium, convenire, vel eum in defectum post lapsum termini intra mensem judices aut arbitros pro dirimenda controversia nominare tenebuntur; quod interea temporis nihil ab utraque parte attentabitur circa dictam superioritatem territorialem, quod possit vel imperio & patriæ Leodiensi, aut confœderatis Ordinibus eorumve subditis præjudicium inferre directe vel indrecte; ac denique quod intra mensem præsidium militare Leodio missum è Castro de Rochette migrare debebit; eâ tamen lege quod confœderati Ordines nullos milites ex sua parte missuri sint, quamdiu controversia sopita non erit.

Hic tractatus provisionalis suam in omnibus punctis habuit executionem, & abinde nulli alii præter Præpotentes Belgii confœderati Ordines ex una parte, & Serenissimum Principem Leodiensem ex altera, de superioritate territoriali prædicti loci fuerunt contendentes.

Eorum tamen eo circa contentiones binis circiter post annis per alium Tractatum Hagæ Comitis 12. Augusti Anni 1671. celebratum, hic annexum sub Num. 5. viâ amicabili compositæ fuerunt. Num. 5.

Per eum siquidem Tractatum Præpotentes Belgii, confœderati Ordines superioritatem territorialem cum omnibus aliis juribus ab ea dependentibus intuitu Castri bonorumque de Rochette cesserunt in favorem Serenissimi Principis Maximiliani Henrici Bavariæ Ducis, ejusque Ecclesiæ Leodiensis, ea intentione & voluntate, ut eadem superioritas sub resortu Imperii, non secus ac Dominium seu territorium Fleronense, suæ Celsitudini ejusque statibus acquisitum permaneret, ita ut à nemine, quovis sub prætextu & titulo in dicta superioritate territoriali, juribusque ab ea dependentibus in futurum turbari possent; reservatis tamen juribus dominicalibus ipsis qua feudi Dominis directis competentibus.

Et vicissim Serenissimus Princeps (cui eum in effectum Autoritas Cæsarea impertita fuerat) & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, superioritatem territorialem juraque ei annexa oppidi de Lith in rem Præpotentum confœderati Belgii Ordinum per modum permutationis cesserunt & transtulerunt, facta inde promissione solemni de se se reciproce manutenendo & defendendo in suis respectivis cessionibus, in omnibus & per omnia, adversus quoscumque molestiam quovis titulo & prætextu inferre volentes.

Quantum vero attinet lites inter fatum Baronem de Cortembach, & Dominam Mariam Sibyllam de Pletemberg tunc temporis defunctam, per Capitulum Leodiense titulo donationis repræsentatam, tum Bruxellis, tum

Hagæ Comitis agitatas, pactum fuit quod omnes sententiæ & processus utrimque pro abolitis & annullatis haberentur, partesque unum vel plures arbitros nominarent ad dirimendas quascumque controversias privatum earum interesse concernentes, quodque interea prædictus Baro de Cortembach (finito per obitum præfatæ viduæ usufructu) possessionem Castri bonorumque de Rochette apprehendre, iisque frui poterit à die ratificationis dicti tractatus (non obstante jure retentionis ob causas in istis litibus deductas ex parte Capituli Cathedralis prætenso)

Conventum insuper fuit quod idem Baro de Cortembach, (qui summa cum obstinacia per plurimos annos renuerat Serenissimo Principi præstare relevium, homagium & juramentum fidelitatis, ratione feudi hæreditariæ advocatiæ Fleronensis, ob idque feudum in commissum ceciderat) petendo ab altefato Principe investituram prætactæ advocatiæ feudalis, eidemque præstando juramentum fidelitatis prout Anno 1623. Comiti de Bucquoy præstitit Joannes de Ruissemberg, perinde ac alii ejus prædecessores Decano & Capitulo Ecclesiæ Aquisgranensis præstiterunt, Serenissimus Princeps Capitulum Aquisgranense repræsentans omnem caducitatem ipsi remitteret, feudique istius advocatiæ investituram concederet, ut hoc mediante pacifice frui posset illius emolumentis.

Tractatus ille ab utraque parte fuit ratificatus, & in vim illius Præpotentes confœderati Belgii Ordines cessa ipsis superioritate territoriali oppidi de Lith, juribusque ab ea dependentibus, absque minima molestia fruiti sunt & etiamnum fruuntur.

Vigore ejusdem Tractatus sæpe fatus Baro de Cortembach, postquam præstitit Serenissimo Principi & Episcopo Leodiensi relevium, fidem & homagium, remissa ei feudalis advocatiæ Fleronensis caducitate, omnia illius jura & emolumenta quiete percepit, insuperque plenam & liberam castri bonorumque de Rochette possessionem adeptus est, quam pacifice continuavit usque ad obitum, conformiter dicto Tractatui.

Serenissimus vero Princeps ex sua parte novo supra memoratæ cessionis ipsi factæ Titulo nixus, jusque juri cumulans, tam per se quam per curiam suam Fleronensem suosque officiatos possessionem, seu quasi possessionem jurium superioritatis territorialis in loco de Rochette, nullo amplius interjecto impedimento, continuavit, plurimosque actus jurisdictionales ibidem, nemine refragante, exercere perseveraverit, & inter alios Octava Augusti Anni 1672. dicta curia Fleronensis executive procedendo adversus Ægidium Henricum Noel castri de Rochette conductorem, ob defectum solutionis certæ pecuniarum summæ, cujus erat debitor, convictum ejus pecora & mobilia ad petitionem Joannis Nicolai de Rogister exequi & subhastari jussit, eaque executio realiter peracta fuit.

Eodem anno ad instantiam Ægidii de Vivier Mobilia Balduini Joannis Adam venatoris Domini seu possessoris Castri de Rochette, & incolæ dicti loci, apprehensa fuere autoritate & decreto curiæ Fleronensis.

Cumque Joannes Dayeneux præsumsisset, Curiæ Fleronensi quemdam protestationis actum juribus superioritatis territorialis Serenissimo Principi in loco de Rochette competentis contrarium, intimari curare 2. Januarii Anni 1675. prædicta Curia condemnavit ipsum ad petendam genibus flexis veniam à sua Celsitudine Leodiensi, prout & ab ipsa Curia, eaque sententia executioni mandata fuit, ut constat ex registris prædictæ Curiæ.

Sublato

Sublato autem è vivis dicto Barone de Cortembach ejus vidua nupsit Comiti ab Arberg de Fresin, isque tanquam novus vasallus, intuitu advocatiæ Fleronensis, fidem & homagium Serenissimo Principi Leodiensi in conformitate prærelati tractatus de Anno 1671. præstitit sub Anno 1685. actumque de super expeditum ipsemet Curiæ Fleronensi insinuavit, ubi solitum fidelitatis juramentum tam erga principem quam ejus subditos justitiæque Fleronensis Ministros renovavit.

Post mortem prædictæ viduæ Baronis de Cortembach, Frater antefati Comitis ab Arberg & Fresin, qui Filiam ejusdem Baronis in uxorem duxerat, factus hæres bonorum istius Familiæ 16. Decembris Anni 1689. suum quoque præstitit Principi & Episcopo Leodiensi relevium, cum fide & homagio respectu præmentionatæ advocatiæ Fleronensis, disertis verbis exprimendo, se illud facere in conformitate præmemorati tractatus Hagæ Comitis Anno 1671. celebrati.

In cujus relevii sequelam personaliter comparuit 16. Augusti Anni 1690. coram supradicta curia Fleronensi, cui intimavit prædictum relevium, & renovato fidelitatis juramento, quo promisit se jura suæ Celsitudinis Leodiensis Curiæ & Incolarum Dominii Fleronensis manutenere & defendere, admissus fuit in possessionem prætactæ Advocatiæ.

Et cum nonnulla liberæ navigationi fluvii de Vesdres præterfluentis prata & prædia de Rochette obstacula injecta forent per proprietarios ustrinarum ferrariarum, Serenissimus Princeps Josephus Clemens Bavariæ Dux, Episcopus & Princeps Leodiensis, super querelis mercatorum, nautarum aliorumque, mandavit fluvium istum aliumque vicinum visitari, ut reperta liberæ navigationi obstacula favore boni publici & facilitatis commercii indilate amoverentur, in eumque finem fatum Comitem ab Arberg, Comitem d'Outremont, & Baronem de Haxhe de Bierset deputavit Anno 1715.

Istam Commissionem acceptavit & executus est fatus Comes ab Arberg, absque minima contradictione, probe sciens & agnoscens Superioritatem loci de Rochette, fluviique ibidem præterfluentis, multiplici titulo competere Domino Principi & Episcopo Leodiensi, suamque relationem peractæ visitationis cum cæteris deputatis fecit Serenissimo Principi.

Qua visa & examinata altefatus Princeps suo edicto de 26. Augusti Anni 1715. præcepit omnibus fodinarum proprietariis, aliisque, ut allata liberæ navigationi istius fluvii, nec non fluvii d'Outre circumvicini impedimenta, per visitationis actum designata, absque mora tollerent, illudque mandatum 1. Septembris 1716. publicatum fuit, præsente ejusdem Comitis vices gerente.

Hactenus tranquilla fuit Superioritatis territorialis in loco de Rochette possessio; at aliquot post annis cœpit paulisper turbari.

Cum enim Anno 1722. Prætor Dominii Fleronensis, continuando nomine quondam Serenissimi Principis possessionem prædictæ superioritatis, vigore decreti Curiæ Fleronensis, cadaver hominis in agro de Rochette occisi visitari curasset, Comes ab Arberg obtendit se per istud Curiæ Fleronensis decretum fuisse læsum, clanculumque officium Procuratoris Generalis Bruxellensis suscitavit, suique juramenti fidelitatis erga Principem suum immemor, insinuare non dubitavit, castrum, bonaque de Rochette esse de Territorio pagi de Fouron ad Serenissimum Belgii Austriaci Principem spectantis, nequaquam vero de territorio Fleronensi; atque ita declarari debere contendit præfatus procurator Generalis.

Id quod nullus usque tunc temporis dixerat aut cogitaverat; è contra ejusdem Comitis socer Baro de Cortembach, cui in omnibus bonis & juribus successerat, semper sustinuerat illud castrum cum bonis esse de Territorio Dalhemiensi, superioritatemque territorialem dicti loci confœderatis Ordinibus competere, ut prænotatum.

Ad sedandum novum hunc jurisdictionis conflictum nullo juris colore excitatum, Serenissimus Princeps molestiam istam ipsi illatam iisdem confœderatis Ordinibus notificandam esse duxit, ut conformiter stipulatæ per Tractatum de Anno 1671. Promissioni Guarandiæ sua interponerent apud Regimen Belgicum officia, pro omnimoda cessatione & eradicatione istius molestiæ.

Id quod præstiterunt per suum Ministrum Bruxellis residentem, à quo Memoriale Regimini Belgico ipsorum nomine præsentatum fuit, ad præmemoratum effectum.

Ex sua quoque parte altefatus Princeps præmemorato Regimini Belgico remonstrandum censuit per suum Ministrum, controversiam sub nomine Procuratoris Generalis Consilii Brabantini intuitu superioritatis territorialis loci de Rochette motam, & per Comitem ab Arberg de novo sucsitatam, per Tractatum publicum de consensu Augustissimi Imperatoris Anno 1671. conclusum finitam esse, Baronemque de Cortembach dicti Comitis socerum istum Tractatum gratum ratumque habuisse, eidem aquiescendo, per adeptam & continuatam vigore illius possessionem castri & bonorum de Rochette, non secus ac per acceptam advocatiæ Fleronensis investituram juriumque ab ea dependentium perceptionem, post præstitum Serenissimo Principi relevium cum fide & homagio conformiter eidem tractatui.

Ita ut hisce visis & perpensis hæc nova difficultas progressum ulteriorem non habuerit, sed per sat longum temporis spatium sopita permanserit.

Verum modernus Comes ab Arberg anterelati filius non obstante præstito ex sua parte juramento erga Principem, illam attentato prorsus intolerabili resuscitavit.

Etenim cum is Anno 1732. in mense præsumpsisset propria auctoritate vectigalia in sæpe dicto loco de Rochette super quibuscumque mercibus transeuntibus, sive per fluvium de Vesdre sive per solum, nec non super equis, Rhedis & carrucis instituere & exigere, in maximum commercii non solum patriæ Leodiensis, sed & vicinarum ditionum præjudicium, de hacque novitate adeo exitiosa, nec non de arrestis violenter ob defectum solutionis interpositis, plurimi mercatores, nautæ & alii, graves ad Celsissimum Dominum Principem Leodiensem detulissent querimonias, is pro tuitione jurium superioritatis sibi competentis, & manutentione libertatis commercii, per Decretum hic jun-
Num. 6. ctum sub Num. 6. de 24. Julii Anni 1732. declaravit, talia vectigalia illicita, nec fas fuisse Comiti ab Arberg seu ejus mandatario ea exigere, navesque & equos ob defectum solutionis arresto præcludere, inhibendo eidem serio, ne deinceps talia attentata talesque concussiones perpetret, sub pœna procedendi contra ipsum tanquam violatæ fidei contra Principem reum, facta simul nautis inhibitione, ne quidquam ei exsolvant in casum quo tales exactiones in futurum fierent.

Per aliquot quidem menses cessarunt ejusmodi concussiones & illicitæ exactiones; ast circa mensem Aprilem Anni 1733. illæ non solum renovatæ, sed mirum in modum extensæ & ampliatæ fuerunt, summa cum temeritate & insolentia, usque adeo, ut dictus Comes ab Arberg non erubuerit telonium & stipi-

& ſtipitem cum armis ſuis gentilitiis coronâ Ducali ornatis, in ſignum ſupremi Dominii erigere,& ad exactionem vectigalium tam inſolitorum certas conſtituere perſonas.

Unde ob tam enormia attentata reipublicæ tantopere damnoſa, ſacrisque Imperii legibus exoſa, delatis undequaque querelis, altefatus Princeps, priori ſuo decreto per decretum hiç annexum ſub Num. 7. inhærendo mandavit iterum antefato Comiti ab Arberg, ut ab iſtis attentatis & exactionibus deſiſteret, ſub prærelata pœna, quod in caſum contraventionis uti reus ruptæ fidei erga Principem tractaretur; inhibuitque omnibus & ſingulis ne ejusmodi vectigalia in agro de Rochette à quoquam exigere præſumerent, ſub eadem pœna aliisque gravioribus, præcipiendo ſuis officiatis, quatenus executioni hujusce mandati invigilarent, tanquam concuſſionarios & rei publicæ perturbatores. Num. 7.

Ne vero tantum malum longius ſerperet, Celſiſſimus Princeps conformiter reſolutioni trium Patriæ ordinum de 7. May Anni 1733. hic junctæ ſub Num. 8. juſſit ſtipitem illum cum armis Gentilitiis fati Comitis coronâ Ducali ornatis ad normam qua utuntur Supremi Principes & Electores Imperii, avelli & abduci, inſervientesque exactioni iſtorum vectigalium à dicto Comite præpoſitos, apprehendi. Num. 8.

Id quod executioni demandatum fuit.

De qua executione utcumque juſta & conſtitutionibus Imperii conſentanea, graviter tamen & dolenter conqueſtus eſt præfatus Comes apud Regimen Belgicum, non ſecus ac ſi per eam ſummopere violatum fuiſſet territorium Belgii auſtriaci, eo ſub falſo prætextu per eum ejusque patrem adducto, quod Caſtrum bonaque de Rochette forent de territorio pagi de Fouron, ad Sereniſſimum Belgii Principem ſpectantis; ibidemque ſupplicavit, quatenus injungeretur Domino Epiſcopo & Principi Leodienſi, ut ſtipitem ablatum armaque ejus gentilitia in telonio appoſita cum omni damno & intereſſe ipſi reſtitueret, & in eodem loco reponi curaret.

Verum nemo eſt, qui non videat injuſtitiam ejuſmodi querelæ & petitionis, dum ex una parte perpendet curiam pagi de Fouron nullo unquam tempore ullos actus jurisdictionales in loco de Rochette exercuiſſe, iſtumque pagum pluribus milliaribus à dicto caſtro eſſe diſtantem, pluresque vicos alterius jurisdictionis eſſe intermedios, ac de nullo unionis territorii cum iſto caſtro per ſuperiorem factæ inſtrumento ullibi conſtare; & ex altera parte ponderabit, fatum Comitem ab Arberg vigore præmemorati Tractatus de Anno 1671. poſſidere caſtrum & bona de Rochette, ejusque avum maternum in poſſeſſionem iſtius feudi in vim ejusdem Tractatus immiſſum fuiſſe, huncque coram conſilio Brabantino Hollandico viriliter ſuſtinuiſſe idem caſtrum cum appendentiis & dependentiis non tantum in feudum moveri à Comitatu Dalhemienſi; ſed etiam eſſe de ejusdem Comitatus territorio, atque eo principio nixum ipſum plures ſententias favorabiles contra antefatam Mariam Sibyllam de Pletemberg in prætacto conſilio Brabantino Hollandico intuitu ejusdem caſtri bonorumque ei annexorum reportaſſe, ac poſt plurimos congreſſus Hagæ Comitis habitos Præpotentes confœderati Belgii Ordines, per antefatum Tractatum de Anno 1671. ceſſiſſe & tranſtuliſſe in rem Domini Epiſcopi & Principis Leodienſis ejusque Eccleſiæ & Imperii ſuperioriratem territorialem loci de Rochette cum omnibus juribus ab ea dependentibus, contemplatione ceſſæ viciſſim ipſis Superioritatis territorialis oppidi de Lith, ac tandem non licere privatis Dominis, ſed tandummodo iis, qui ſuperioritatem territorialem habent cum publica poteſtate, vectigalia inſtituere & exigere, obſervatis legibus per pacta publica præſcriptis; nec inſuper fas eſſe ulli nobili utcumque illuſtris Familiæ arma gentilitia cum coronâ Ducali geſtare, & appendere in locis publicis.

Attamen hæ rationes licet ſolidiſſimæ & prægnantiſſimæ, cum multis aliis Regimini Belgico repræſentatæ, nullius viſæ ſunt ponderis; ideoque ös ſpretis & rejectis ad caſſationem & annullationem quorumcumque à Principe Leodienſi pro manutentione jurium Imperii & tuitione Superioritatis territorialis ipſi multiplici ex capite competentis in loco de Rochette geſtorum procedi, nec non bona incolarum Patriæ Leodienſis arreſtari juſſerit, teſte ad-
Num. 9. juncto ſub Num. 9.

Et quamvis Epiſcopus & Princeps Leodienſis conductores & exactores præmemoratorum vectigalium ratione delicti Leodium abductos ex mera gratia relaxaſſet, ac per ſuas litteras Sereniſſimæ Belgii Auſtriaci Gubernatrici
Num. 10. conſcriptas, hic annexas ſub Num. 10. inſtantiſſime requiſierit altefatam Principiſſam, ut ab arreſtis factique viis adverſus Leodienſes ſubditos, eorumque bona abſtineret; propoſuiſſetque eidem diſſidium iſtud via amicabili per Commiſſarios utrimque nominandos conformiter antiquis concordatis inter reſpectivos Principes initis, componi & dirimi, ne vicinarum Provinciarum tranquillitas, magno Imperii detrimento & præjudicio, in hisce temporum & rerum circumſtantiis tubaretur; in eumque finem Præpotentes Belgii confœderati Ordines per ſuum Miniſtrum Bruxellis reſidentem Memoriale hic
Num. 11. junctum ſub Num. 11. Regimini Belgico cum precibus ut & propoſitioni annueret, præſentaſſent.

Nihilominus illud Regimen ſurdas præbuit aures iſtis requiſitionibus & propoſitionibus viæ amicabilis, & inſtigante ſemper Comite ab Arberg proſiliit ad executionem Mandati Generalis arreſti ſuper bonis ſubditorum Leodienſium,
Num. 12. tam ſæcularium quam Eccleſiaſticorum, teſte adjuncto ſub Num. 12.

An hæc arreſti cauſa in jure ſubſiſtat, & an non Imperio hæ facti viæ & executiones injurioſiſſimæ ſint, dijudicet totus orbis Germanicus.

Allegata ſiquidem arreſtorum cauſa reponitur in prætenſa Territorii Auſtriaco-Belgici violatione ſeu perturbatione, licet ex parte Regiminis Belgici nullus ſuperioritatis territorialis in loco de Rochette Titulus proferatur, nec aliud pro aſſerenda ſibi ea ſuperioritate obtrudatur, præter quasdam Collectarum penſitationes, inſcio & non conſentiente Epiſcopo & Principe Leodienſi, per moderni Comitis ab Arberg parentem Receptori ſubſidiorum de Fouron identidem factas, dum is caſtrum bonâque de Rochette à Dominio Fleronenſi ſubtrahere meditabatur; quaſi vero Vaſallus per tales ſolutiones clanculum factas, Domino Territoriali, quoad jus ſuperioritatis, præjudicare poſſet, maxime in hocce caſu, ubi ſolutiones illæ ad aliam cauſam referri poſſunt, nempe ad Coloniam de Sch: Snauremberg ſub Territorio de Fouron, ſitam, quam tunc temporis poſſidebat fatus Comes ab Arberg, intuitu cujus ſolutiones illæ præſtitæ cenſeri debent; dum tamen è contra Epiſcopus & Princeps Leodienſis pro vindicanda & retinenda ſibi ſuperioritate territoriali multos & incontrovertibiles Titulos in medium cum poſſeſſione immemoriali profert.

Unde jure meritiſſimo Epiſcopus & Princeps Leodienſis ad propulſandam tam gravem toti Imperio ſibique illatam injuriam per arreſta Brabantina, & ad procurandam ſubditis ſuis juſtam indemnitatem jure repreſſallarium per reciproca arreſta adverſus Brabantinos uſus eſt, utique debuit; à quibus tamen omni momento deſiſtere paratus erit, ſtatim atque Regimen Belgicum ex ſua parte à ſuis quoque deſiſtet.

Interea tamen multa & graviſſima mala ex his facti viis & executionibus per ſacras Imperii conſtitutiones damnatis, ac per Brabantinos adverſus Leodienſes fideliſſimos Imperii ſubditos, adeo frequenter absque juris umbra exercitis & uſurpatis, pertimeſcenda ſunt, quibus occurri promptamque medelam adferri exoptat, enixiſſimeque rogat Epiſcopus & Princeps Leodienſis cum ſuis Patriæ Ordinibus.

Beyla-

126